



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Magnum Matrimonij Sacramentum Casibus Practicis Expositum

Reutlinger, Ignaz

Augustæ Vindelicorum, 1716

VD18 10508716

Casus An appositio pœnæ in Sponsalibus tollat libertatem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40059



QUÆSTIO QUARTA.

Qualis libertas requiratur in promissione Sponsalitia ? quæ est quarta conditio.

C A S U S.

An appositio pœna in Sponsalibus tollat libertatem ?

Lucretia expetita in Sponsam à Licostene, cùm sciret, hunc juvenem mobilis esse, & inconstantis genij, aliter non vult contrahere, nisi sub hac conditione, ut resiliens à Sponsalibus teneatur alteri parti mille imperiales solvere.

Q. An hæc appositæ pœna invalidet Sponsalia, & quænam alia officiant eorum libertati ?

S Y N O P S I S.

1. Sponsalia exigunt perfectam libertatem, cui plura adversantur.
2. An Sponsalia injusto metu extorta sint ipso jure irrita ? Duplex est Sententia. Prima negat esse irrita, idque probabiliter.
3. Secunda probabilius affirmat, esse nulla, etsi juramento firmata sint.

4. Im-

4. Impugnatur hoc paritate ex usura desumpta.
5. Solvitur allata obiectio, & ostenditur disparitas.
6. An adjectio pœna obsit libertati Sponsalium?
7. Proponitur Sententia affirmativa, non solum quando apponitur ab ipsis Sponsis, sed etiam ab eorum consanguineis, Dominis &c.
8. Est hæc Sententia communis, & omnino tenenda.
9. Paritur tamen limitationem, ut pœnam apponere tantummodo liceat injustè resilienti.
10. Exponuntur aliqua Leges circa hanc materiam.
11. Jurans pœnam solvere, si injustè resiliat, tenetur ad hoc ex justitia, & religione; jurans verò eandem solvere, etiam quando justè recederet, ad nullam solutionem obligatur.

Ipsum nomen Sponsalium indicat, magnam in ijs requiri animi libertatem; Sponsalia enim à sponte dicta sunt, id est à sponte promittendo, consensum igitur requirunt non qualemcumque, sed verè spontaneum, huncque in ipsis exigunt tum ipsa Sponsalium natura, tum Juris dispositio, cum sint via, ac præparatio ad Matrimonium; ergo quemadmodum in Matrimonio, ne exitus infelices sequantur, jura omnia magnopere attendunt, ne quid illius libertati adverfetur, ita censendum est, quod in Sponsalibus quoque illorum libertatem plurimum defendant.

Porro plura sunt, quæ nocere

possunt libertati Sponsalium, nempe
 1. Si interveniat error. 2. Dolus, seu deceptio. 3. Gravis metus injustè incussus. Et denique 4. adjectio pœnæ, quæ solvi debeat ab eo, qui resilierit à Sponsalibus. De hoc ultimo procedit casus propositus, reliqua commodiùs tractabuntur in secunda parte de ipso Matrimonio.

2. Cum verò adjectio pœnæ metum aliquem causet in altera parte, ne pœnam solvere debeat, non absereit, hoc statim loco examinare, quid metus efficiat in Sponsalibus, an scilicet idem præstet in ipsis quoque, quod efficere solet in Matrimonio, ita ut, quemadmodum Matrimonium gravi, & injusto metu extortum ipso jure irritum, & nullum est, ita Sponsalia quoque ex simili metu inita ipso jure nulla sint?

Pro

Pro utraque Parte, tam affirmativa, quam negativa, graves Authores decertant. Valida esse secundum se Sponsalia ex metu inita, docent Coninck *disp.* 28, n. 7. Less. *L.* 2. c. 17, n. 37. Henriq. *L.* 11. c. 9, n. 6. Petrus Ledelma, Hurtad, Dicastill, & alij; rescindi tamen possunt etiam juxta hos Authores vel per Sententiam Judicis, vel etiam sine hac ab ipsa Parte, quæ metum passa est, propria auctoritate per exceptionem metus, unde vi hujus Sententiæ diverso modo est discurrendum de Matrimonio, & de Sponsalibus, nam Matrimonium aliunde validum ex natura sua est indissolubile, Sponsalia verò ceteroquin valida facile dissolvi possunt; ergo mirum non est, quòd Jus Canonicum majorem exigit libertatem in ipso Matrimonio, quam in Sponsalibus, velicque, illud ipso facto irritum, & nullum esse, quando ex metu contrahitur; quod de Sponsalibus quoque statutum esse in Jure non reperitur, nam textus *c. Ex litteris. De Despons. impub.* hoc non ostendit, ex quo tamen eandem nullitatem in Sponsalibus aliqui probare volunt, quippe Sponsalia, de quibus ibi sermo est, non fuerunt præcisè ex metu inita, atque ita solum involuntaria secundum quid, sed omni prorsus consensu destituta, ut colligitur ex vocibus *volens, & invita, item de voluntate Parentum potius, quam de sua*; ex jure igitur non probatur, quia hic textus non facit ad rem, alius

verò non ostenditur, qui Sponsalia ex metu inita pro irritis habeat.

Confirmatur. Quamvis Concilium Tridentinum irritaverit Matrimonia clandestina, non ideo censetur irritasse etiam Sponsalia clandestina, quia id ex nullo textu ostenditur, estque admodum diversa ratio: cum ergo nullus textus exhiberi queat, quo clarè, & specialiter Sponsalia ex metu inita irritentur, sitque omnino diversa ratio in Matrimonio, & in Sponsalibus, quæque de uno statuuntur, non censeantur disponi etiam de altero, quod est affine, & connexum, quando in utrisque diversa est ratio, dicendum est, quamquam rescindi queant ejusmodi Sponsalia, ex natura tamen sua valida esse, & consequenter ex ijs orietur impedimentum publicæ honestatis.

3. Alteram Sententiam defendunt Sanch, *L.* 4. *disp.* 19, n. 3. Bonac. *q.* 3. *pu.* 8, n. 31. Laym. *L.* 3. *tr.* 4. c. 6, n. 3. Palao *disp.* 1. *de Sponsal. pu.* 2. n. 6. Emanuel Rodriquez *in Summa p.* 1. c. 230. *conclus.* 4. Filliuc. *tr.* 10. c. 4. n. 118. Illung *tr.* 6. *disp.* 9. q. 1. 4. 1. n. 5. Sporer *Theol. Sacramental.* p. 4. c. 1. n. 190. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 278. Tambur. &c. cum quibus dicendum mihi videtur, etsi Sententia præcedens perquam probabilis sit, probabilius tamen esse, quòd Sponsalia injusto metu extorta non minus, quam Matrimonium, ipso jure sint irrita.

Conantur hoc aliqui probare ex *c.*

Ex

Ex litteris. De Despons. impub. Nam ibi puella puberi, quæ metu minarum Parentis nupserat impuberi, datur facultas accipiendi alium maritum, quia Sponsalia invalida fuerunt ex metu. Verùm ex hoc capitulo planè nihil ostenditur, quia puella, ut supra dictum est, in eo casu fuit omnino invita, & penitus nolens à Parentibus desponsata, quin ullo modo ipsa consenserit in istam desponsationem, ut manifestum est ex Glossa V. desponsata. Unde dicendum potius cum Laym. Palao, & Rodriq. quamvis Sponsalia ob gravem metum celebrata per se, & directè non reperiantur in jure Ecclesiastico cassata, cassari tamen, & annullari indirectè, & per consequentiam, eo ipso, quòd Matrimonium tali metu celebratum ipso jure irritum pronuncietur: Siquidem fieri non potest, ut aliquis promissione sua obligetur ad actum, seu contractum invalidum: Matrimonium autem invalidè contrahitur à persona gravi metu compulsa: ergo Sponsalia, sive promissio Matrimonij talem personam non obligat, quod verum est, etiamsi accesserit juramentum in dictis Sponsalibus, nam Juramentum sequitur naturam actus, cui adjicitur: ergo quando iste est irritus, Juramentum quoque nullam obligationem inducit.

4. Dices. Esto, contractus Sponsalitiis accessione Juramenti non efficiatur in se validus, neque per illud confirmetur, quia per Juramentum

non acquirit id, quòd in eo substantialiter requiritur, ut nempe sit contractus libero, & spontaneo consensu initus, ac promissio actus, seu Matrimonij validi, ipsum tamen Juramentum validum est, & obligat, sicut evenit in usura: nam jurans solvere usuras, quamvis id Juramentum non confirmet contractum, utpote in Jure prohibitum, tenetur tamen hoc Juramentum servare vi *e. Debitores. De Jurejur.* quia id observando, & solvendo non peccat; ergo etiam obligabit Juramentum contractui Sponsalitiis adjectum, donec relaxetur. Ita sentit cum alijs Rodriq. supra cit. Nam etsi dicat, Sponsalia metu extorta etiam cum Juramento esse irrita, nihilominus addit: *verum est tamen, quòd propter reverentiam nominis Dei debet peti relaxatio Juramenti.*

5. Verùm respondeo, tale Juramentum non obligare, nec indigere ulla relaxatione. Probat, & colligitur ex *c. Cùm contingat. De Jurejur.* Ubi juramentum habetur pro irrito, nullamque obligationem inducente, quando cedit in præjudicium tertij: ergo à fortiori nullum est juramentum, nec obligationem inducit, aut relaxatione indiget, quando cedit in præjudicium boni communis: atquæ juramentum tale cedit in præjudicium boni communis, si obliget ad Matrimonium metu extortum, quod obest publicæ utilitati: ergo obligatorium non est, & idcirco relaxatione non indiget. Est nempe communis ista regula

regula, quam præter alios etiam tradit Lessius *L. 2. c. 17. dub. 7.* quòd quando contractus aliquis ob publicam utilitatem prohibetur, etiamsi stabilia- tur juramento, hoc juramentum obligationem non inducat, nec relaxatione indigeat, ut patet in juramento Clerici, quo renuncians suo foro promittit, se compariturum coram Judice sæculari, quod juramentum nullum esse definitur in *c. si diligenti. De Foro compet.* Sed ita in Jure prohibentur, saltem indirectè, Sponsalia, & directè Matrimonia ob publicam utilitatem, quia ex Matrimonij coactis, quorum initia sunt Sponsalia, seditiones oriri solent inter conjuges, lites, jurgia, odia, pugnae &c. quibus respublica turbatur: ergo juramentum illis accedens minimè obligat.

Unde paritas allata de solutione usurae non facit ad rem, quia contractus usurarius prohibetur principaliter ob bonum privatum, nec enim interest rei publicae, sive hic civis, sive ille pecuniam per usuram comparet; at Sponsalia coacta, & metu extorta ob publicam utilitatem interdicuntur: manet ergo indubitatum, tale juramentum non obligare, multò minus confirmare Sponsalia, sed & hæc, & illud nulla sunt, quapropter ex Sponsalibus injusto metu extortis etiam nullum oritur impedimentum publicae honestatis, quod tamen oriretur, si ejusmodi Sponsalia ipso jure aliquando valida essent, quamvis forent rescindenda, Sanch. *L. 4. disp. 19. n. 1.*

6. Nunc ut progrediamur ad potissimam difficultatem casus nostri, an scilicet adjectio poenae eripiat, vel debilitet libertatem in contractu Sponsalicio requisitam?

Affirmativa Sententia desumitur ex Jure, quod non ex alio motivo prohibet, ne Sponsalicio contractui poena apponatur, quàm quia per hoc libertas ad Matrimonium requisita imminuitur; unde communior Sententia est, nullam, & irritam esse ejusmodi poenae adjectionem, etiam modicæ, nec obligari ad quidquam, qui à Sponsalibus resiliat, fidemque non servaverit, sive aliquam resiliendi causam habuerit, sive nullam.

Habetur expressè in *c. Gemma. De sponsal.* ubi dicitur, talis poenae stipulationem in Sponsalibus appositam, meritò reprobendam esse, cum libera debeant esse Matrimonia: irrita igitur est, & annullata à Jure ejusmodi appositio poenae, & consequenter solvenda non est ab eo, qui fidem frangit, atque hoc ideo, ut consulatur libertati Matrimonij, illudque non ineatur coactè ex timore solvendæ poenae.

7. Irrita porro, & nulla est hæc poenae appositio non solum, quando adjecta est contractui Sponsalium ab ipsis Sponsis, verum etiam quando apponitur ab eorum consanguineis, & propinquis, tutoribus &c. quia horum damnum censetur esse damnum Sponsorum, quia moventur ad contrahendum, ne consanguinei poenam solvere debeant. Idem est, si eam

si eam apponant Domini tempora-
les, quibus Sponsi subiecti sunt, vel
alij, à quibus Sponsi molestias, &
damnum pati possunt, nisi Matrimo-
nium contrahant, semper enim
periculum est, ne istud contrahatur
præcisè ex timore pœnæ, & detri-
menti. Secus est, si inter extraneos
pœna apposita esset, idque proprio
nomine, nam ad hos Sponsi non at-
tendunt, nec ea propter inducuntur
ad Matrimonium.

Probatulterius ex L. Titia. 134.
ff. De V. O. ubi dicitur: *inhonestum
visum est vinculo pœnæ Matrimonia obstrin-
gi, sive futura, sive contracta.* & L.
Mulier. §. extra definitionem C. De
Sponsal ubi sic habetur: *Si cautio pœ-
nam stipulationis continens fuerit interpo-
sita, ex utraq; parte nullas vires habebit,
cum in contrahendis nuptijs libera potestas
esse debeat:* patet ergo, pœnam Spon-
salibus adjectam tollere libertatem
ad hunc contractum requisitam, at-
que ideo nullam, & irritam esse in
utroque jure, proinde fidem vio-
lantem in utroque jure non teneri pœ-
nam solvere.

8. Sententiam hanc tenet ferè
communior Theologorum, & Cano-
nistarum; nominatim ex istis Emanuel
Gonzalez, Wagnereck, Henric. Ca-
nisius in c. Gemma. De Sponsal. Pith. n.
23. De Sponsal. Zoësius, Fermosinus
&c. Ex Theologis Sanch. L. 1. disp.
30. Hurtad. disp. I. diffie. 18. Dica-
stillo disp. 1. de Matr. dub. 26. Beca-
nus de Sacram. in specie c. 33. q. 16.

Bonac. Rebellus, Præpos. Filliuc,
Naldus, Tambur. & alij ab his citati.

Cum his dicendum est. 1. Non
posse apponi pœnam Sponsalibus
solvendam ab eo, qui ex justa causa
resilit à contractu, ut manifestè pro-
bant suprâ allati textus, & in hoc
conveniunt omnes, tamquam in re
certa, & indubitata, adeoque qui
non servat promissum de futuris nup-
tjjs, non tenetur ad solutionem
pœnæ, nullumque, & irritum est pa-
ctum de pœna solvenda pro eventu,
quo quis justè resiliret, & ex legitima
causa.

9. Dicendum tamen 2. non pari-
ter irritum, & nullum esse pactum,
quo pœna adijcitur injustè resiliendi,
unde potest apponi pœna illi, qui sine
legitima causa injustè à Sponsalibus
recedit. Ita ex Canonistis Wiestner
n 78. & seqq. de Sponsal. Engl in Ma-
nuali Paroch. p. 3. c. 5. §. 1. Sect. 2. n. 7.
Barbosa in cit. c. Gemma. n. 10. Ex
Theologis verò Laym L. 5. tr. 10. p.
1. c. 1. n. 8. Coninck Disp. 22. dub.
5. n. 29. Perez Disp. 7. de Matr. Sect.
1. Sporer p. 4. Theol. Sacramental. c.
1. §. 3. n. 162. Palao Disp. 1. de Spon-
sal. pu. 9. n. 3. Gobat tr. 10. cas. 4.
de Sponsal. n. 170. & seqq. Pontius
c. 19. n. 8. Diana p. 3. tr. 4. resol.
211.

Ratio conclusionis est, quia nullo
jure prohibetur, quo minus possit
Sponsalibus ejusmodi pœna apponi,
quam solvere is debeat, qui sine legi-
tima causa injustè resilit. Probatul-
terius

G

non

non jure naturali, quia hoc utique non prohibet, ut alter adstringatur servare sua promissa, cum praesertim hæc appositio pœnæ libertatem neque eripiat, neque imminuat, quia eo ipso, quod promissit contrahere Matrimonium, tenetur illud contrahere, nec amplius liber est ad illud vel contrahendum, vel non contrahendum: atqui ubi libertas nulla est, ibi ea vel eripi, vel imminui nequit: ergo adjectio talis pœnæ libertatem non eripit, vel imminuit, sed solum adstringit ad actum honestum ex justitia debitum, ad quem se liberè obligavit Sponsalia celebrans: ergo juri naturæ non adversatur appositio talis pœnæ solvendæ ab eo, qui sine legitima causa injustè resilit.

Sed neque adversatur juri Divino, cum textus nullus ostendi possit in sacris Litteris, qui prohibeat tali casu pœnam apponere.

Nec denique est contra jus humanum positivum, quia textus alii ex Jure Canonico, & Civili solum prohibent, ne pœna adijciatur, quam solvere teneatur is, qui à Sponsalibus recedit, quando hoc ipsi jura permittant; foret enim id planè iniquum, si pœnæ subijceretur is, qui agit, quod sibi per jus ipsum agere concessum est, v. g. qui post contracta Sponsalia vult Religionem ingredi: in similibus casibus adjecta pœna à jure annullatur, non autem habetur irrita adjectio pœnæ, dum

quis illicitè, ac proinde cum injuria alterius à Sponsalibus resilit, aut dum ea apponitur, ne injustè resiliat.

10. Hoc ne in vanum dici videatur, examinemus textus Juris supra allegatos. In primis ex *c. Gemma* clarissimum est, in partem oppositam nihil probari; siquidem ibi sermo est de pœna apposita Sponsalibus puellæ septennio minoris, quæ proinde invalida sunt; vel certè de talibus, quæ facta sunt ab impubere, & à quibus puella pubes facta ex Juris permissione poterat licitè resiliere: hujus igitur libertatem noluit Pontifex coarctari per pœnæ adjectionem, sed eam annullavit, nequaquam irritaturus, si injustè recessisset.

Leges citatæ n. 7. pariter nihil probant, quia ibi sermo est de Sponsalibus contractis à Parentibus nomine liberorum non solum impuberum, sed etiam ignorantium, quæ proinde irrita sunt, & ad ea servanda liberi obligari non debent per pœnam appositam, nam possunt ex juris concessionem contractum illum à Parentibus factum repudiare. Præterea antiquo Jure Romanorum, ut observat Palao, & Bauius Pontius, tum in Sponsalibus, tum in Matrimonio legitime contracto, imò & consummato, licet divertere, modò resiliens, vel divertens pœnam legibus statutam, nempe arrharum, dotis, aut donationis propter nuptias amissionem subiret, ut

ut patet ex L. 1. C. De Sponsal. alijsque pluribus, quæ resiliendi, & divertendi Legibus concessa libertas, ut non impediretur, illegatis Legibus cautum est, ne alijs pœnis Sponsalia, vel Matrimonia constringerentur; in lege Christiana sicut Matrimonium est insolubile, ita Sponsalia pariunt obligationem Matrimonij ineundi, à qua cum neuter ex contrahentibus invito altero absque justa causa sine peccato possit recedere, utiliter cavetur adjectâ pœnâ conventionali, ne pars alterutra temerè, & cum alterius injuria recedat, idque non prohibetur ulla lege vel civili, vel Ecclesiastica: ergo justè, & licitè apponitur pœna Sponsalibus, ne quis injustè resiliat, cum præsertim non rarò etiam excommunicatio major intenteretur, & apponatur injustè resilienti, quæ utique pœna gravissima est, cur igitur nequeat alia pœna apponi?

II. Ex quo deduces cum P. Wiest-

ner, Perez, alijsque citatis, qui juramento firmavit, se pœnam alteri soluturum, casu quo à Sponsalibus injustè resiliet, ex duplici titulo teneri eam solvere, nempe fidelitatis, & justitiæ, deinde etiam titulo Religionis, quia juramentum est validum, cum sit de re minimè prohibita. E contra ad nihil tenetur, qui jurat, se soluturum pœnam, etiam quando justè recedit; est enim juramentum istud invalidum, cum sit de re prohibita ob bonum publicum, irritatis verò promissionibus ob publicum bonum, adjecta juramenta nulla sunt, quod non procedit in usurarum solutione juxta ea, quæ supra dicta sunt, atque ita concluditur, validè, licitèque potuisse apponi pœnam Licosteni in casu nostro, si sine justa causa à Sponsalibus resiliet, nullam verò, & irritam futuram fuisse pœnæ adjectionem, casu quo ex justa causa recessum tentaret à jure sibi permissum, qua ratione videtur inter se conciliari posse duas oppositas Sententias.

